

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. JOANNE MAC-MAHON, Antiquo Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medico, Regiæ Scholæ Militaris Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

An noxiæ Vulneribus Turundæ?

I.

UT vita Hominis ab Arte & Natura pendet, sic ab utrâque conservatur: cujusque sua sunt munia separata vel mixta. Interdùm natur ex se sola medicatrix,

* *Propug. anno 1732, Otto-Casimirus* BARFEKNECHT.

ſæpiùs egena, ni juvetur ab arte. In multis ſiquidem natura ei quod nobis emolumento eſſe queat contrarium molitur ac perficit, quoniam ipſa ſolo inſtinctu regitur; Ars verò rerum ducitur cognitione ac intelligentiâ: Ideoque Medicina plurima præſtat ſupra vires & poteſtatem naturæ in morborum curatione, ope Chirurgiæ, plus manu proficientis quàm medicamento

II.

EST autem Chirurgia antiquiſſima Medicinæ magiſtra, atque conſiſtit in duobus, inſtauratione & detractione. Ad inſtaurationem pertinet deligatio, ſpleniorum & fulcimentorum uſus, ſutura & fibularum impoſitio. Ad detractionem refertur tractio, propulſio, avulſio, divulſio, ſolutio etiam continui quæ fit parte durâ, vel molli, vel utrâque. In molli ſectio, punctio; in durâ ſerratio, limatio, raſio & perforatio; in utrâque uſtio & exſciſio. Hujus Chirurgiæ apprimè peritum decet eſſe Medicum, operationem miniſtris relinquere, qui magiſterio Medici dirigantur. Chirurgus verò ſit juvenis, Caſtra ſequatur & Noſocomia frequentet, ut Vulnerum diſcrimina cognoſcat.

III.

QUAMVIS enim Vulnerum curandorum indicationes ſint conſimiles, unionis ſolutionem reſarcire, ſublatâ inflammatione per venæ ſectionem & refrigerantia, ſaniei deterſione & Carnis reparatione per exſiccantia & detergentia. Attamen pro variâ partis naturâ, & rei lædentis qualitate aliter tractantur Vulnera. Si Capiti Vulnus inflictum,

etiam leve, non negligendum, cui medetur ſanguinis detractio liberalior, ſi fuerit Os læſum, quod Trepano excindetur. Pectoris Vulnera penetrantia, etiam perfoſſis Pulmonibus, non ſemper lethalia, uberiore & repetitâ ſanguinis detractione ſanantur: proinde in magnis Vulneribus corpus inediâ macerabis & exangue reddes. Ratione rei lædentis, ſive contundentis, ſive venenatæ aliter percurantur Vulnera, qualia ſunt ſclopetis. Sed omnia rarò ſolvenda atque medicanda, & niſi profundè ſinuoſa ſint aut complicata, non adhibeantur Turundæ.

IV.

EX multiplici Lineamentorum genere quod in tractandis Vulneribus uſurpatur, aliud eſt externum, quod Plumaceolus vulgò dicitur, aliud internum, Turunda dictum. De poſtremo tantùm inquiritur, cujus apud veteres plurimæ ſunt differentiæ, quibus indita ſunt nomina à formis & figuris quibus effinguntur, vel à materiâ ex quâ conflantur, cujus modi ſunt Linteum, Ellychnium, aut Suber, Spongia, radix Gentianæ, Argentum, Plumbum, Stannum, ex quibus efformantur canaliculi, ad implendas Turundarum vices.

V.

INDUNTUR Vulneribus Turundæ ut aperiant & dilatent ad egreſſum puris, vel alieni corporis extractionem. Sed quantùm officiunt curationi Vulnerum indè liquet, quòd vulnera, ſi recentia, ſunt dolorifica, ideòque non irritanda metu fluxionis, Turundarum intruſione, quas Natura Vulnerum medicatrix nititur ſemper excutere; ſi

vetusta, non egent Turundis, quæ coalitum impediunt conservantque ulcera. Deinde Puris continuum effluvium sistunt, cujus morâ & putredine magis effodiuntur & excavantur ulcera, atque ferina fiunt.

Ergò noxiæ sunt Vulneribus Turundæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Josephus GILLE.

M. Joannes-Josephus-Hieronimus DUCOS.

M. Antonius-Petrus DEMOURS, *Regis Christianissimi Ocularius designatus*,

M. Joannes-Baptista-Adrianus ROSE DE L'EPINOY.

M. Josephus-Franciscus BOURDIER DE LA MOULIERE.

M. Ludovicus-Cyprianus DE MONTAIGU.


M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *antiquus Facultatis Decanus.*

M. Petrus-Maria MALOUET, *Eques, in Sacro Consistorio Regis Senator, Augustissimarum Galliarum Principum Regis amitarum natu minorum Archiater.*

M. Carolus GELLE DE SAINT LEGER, *Eques, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, Primi Ordinis & totius equestris agminis in exercitu Medicus primarius.*

Proponebat Parisiis, BERNARDUS-NICOLAUS PLUUINET, Parisinus, Universitatis Medicinæ Monspeliensis Doctor, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.